



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Sectio VIII. An Privilegium aliquando obliget Privilegiatum, ut eo utatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

## S E C T I O VIII.

An privilegium aliquando obliget privilegiatum, ut eo utatur?

309. 1. **N**on aded certa est pars negativa, ut aliquibus fortasse videbitur ex communi axiomate, quod nemo tenetur uti privilegio sibi concessio, desumpto ex regula juris in 6. quæ in gratiam alicujus concessa sunt, non debent in ejus damnum retorqueri, alioquin gratia onerosa fieret, & libera facultas in obligationem vertetur.

310. 2. Sed dicendum est, quod sunt multi casus, in quibus privilegiatus tenetur uti privilegio, & hoc sub culpa gravi. *Primò*, quando quis non potest renunciare privilegio suo, ut patet in privilegio Canonis, & fori, concessio Clericis, & aliis similibus Religionibus concessis, quibus particulares nequeunt renunciare, ut docent communiter Doctores, & ostendimus suo loco. Unde si occurrat casus, in quo vel cedendum sit privilegio, vel illo utendum, ut sæpè contingere potest, obligabitur Clericus uti privilegio, & nec validè, nec licitè potest consentire, ut contra illud operetur, & hoc nihil aliud est, quàm obligare ad observantiam, & usum privilegii.

Ratio est, quia hujusmodi privilegia sunt concessa, *Primò* ac principaliter, in bonum commune ac publicum, cui persona privata renunciare non potest, *Cap. Si diligenti, de foro competent. & l. Jus publicum, ff. de pact. & idem dicendum de privilegio concessio in priva-*

tum commodum unius personæ, si respiciat etiam per se commodum alterius, & unum ab altero non sit separabile; tunc non poterit unus eorum renunciare juri suo sine consensu alterius. Sit exemplum: uxor, cui conceditur privilegium, ne obligetur fidejussione, non potest illi renunciare, saltem sine consensu viri. Nec filius familias potest renunciare privilegio, quo liberatur ab obligatione solvendi mutuo accepta, sine licentia patris. Quia ista privilegia per se etiam respiciunt commodum mariti & patris, ut multis allegatis docet Azor, *Tom. 1. lib. 5. cap. 22. qu. 10. Salas de leg. disp. 17. sect. 2. num. 25. Suarez lib. 8. de leg. cap. 6. num. 4.* & est communis. Dixi, quando *per se respicit commodum alterius*, quia si respicit per accidens, & quasi accessoriè, ut patet in privilegio concessio alicui audiendi Missam, & alia divina Officia tempore interdicti, licet tale privilegium cedat etiam in commodum & utilitatem famulorum, qui eum comitari solent, cum hoc sit accessorium, Dominus solus potest renunciare privilegio; & idem est de privilegio concessio Religioni, quod interdum communicatur familiaribus illis.

3. *Secundò*, quoties per privilegium fit actus licitus, qui antea non erat, vel tollitur obligatio, quæ antea erat, nam tunc superveniente aliâ lege præcipiente talem actum, poterit quis obligari ad actum per privilegium concessum. Sit exemplum in conjugate habente votum castitatis; iste tenetur reddere alteri conjugati petenti, ut communiter docent Theologi, nihilominus si petens adulter fuerit, uxor habens votum

non

311.

non tenebitur reddere, & consequenter obligatur non reddere, sed votum servare. Quia licet, in casu adulterii, sit privilegium innocentis, ut non teneatur reddere adultero petenti, posito hoc privilegio, sit licita observatio voti castitatis, & ideo obligat præceptum servandi votum, sic Silvester, *verb. Matrimonium, 7. quest. 5. dict. 6.* Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 6. num. 14.* Suar. *lib. 8. de leg. cap. 23. num. 8.* & alii.

312. 4. Ex quo infertur, quod si incarceratus haberet privilegium, ut in diebus festivis posset liberè exire è carceribus, tenetur uti hoc privilegio, & consequenter obligatur ad audiendam Missam, licet hoc non videatur omninò certum propter dicenda infra.

313. 5. Tertio, quando usus privilegii esset necessarius ad evadendam mortem, vitandum grave scandalum, aut notabile damnum proprium, vel proximi; teneretur privilegiatus uti privilegio, ut si aliqua lege statueretur sub pœna amissionis vitæ, honoris, vel bonorum, ne quis a Regno extrahat frumentum, equos, vel quid simile: si contingat aliquem talia extrahere virtute privilegii sibi à Principe concessi, & capiatur à ministris justitiæ hoc privilegium ignorantibus, tenetur in conscientia allegare privilegium ad mortem evadendam.

314. 6. Circa habentem privilegium audiendi Missam tempore interdicti, est dubium inter Doctores, an teneatur uti privilegio, & Missam audire?

7. Multi & graves Doctores negant, Petr. de Ledesma in *summ. p. 1.*

*tract. de Eucharist. cap. 27.* Avila de censur. *parr. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 6.* Llamas in *summ. part. 3. cap. 5. §. 12.* Marius Alterius de censur. *tom. 2. dis. 2. de interd. cap. 3. in fin.* Coninch. de Sacram. *disp. 17. num. 28.* & alii multi apud ipsos, & idem dicunt de infirmo habente oratorium domi. Alii multi affirmant, Sotus in *4. distinct. 13. q. 2. art. 1. circa finem.* Suar. *lib. 8. de leg. cap. 23. num. 7.* Nugn. de Sacram. *lib. 9. de matrim. disp. 6. num. 14.* Sanch. in *select. disp. 15. num. 2.* Bonac. de cens. *disp. 5. punct. 4. in 2.* & alii; utraque sententia est satis probabilis, quia fulcitur sufficiente auctoritate, & fundamentis videndis in Authoribus relatis.

8. Verùm aliqui ponunt differentiam in casu incarcerati, & in impedito ob infirmitatem habente Oratorium domi, & respectu habentis privilegium domi, & respectu habentis privilegium tempore interdicti: & obligant primum, non verò secundum, nam impedimentum carceris, & infirmitatis est impedimentum ipsius personæ, quo sublato, seu cessante, currit obligatio tali personæ audiendi Missam. At verò impedimentum interdicti est impedimentum juris ob bonum commune, & privilegiatus potest se cum tali jure conformare, & non uti privilegio. Ita videtur sentire Avila ubi supra *num. 54.* & tenet ut probabile Merola *disp. 6. cap. 6. diff. 2. n. 69.*

9. Aliud dubium occurrit hic examinandum: An habens privilegium absolvendi à casibus, vel censuris reservatis, teneatur uti privilegio, & ita absolvere a casu reservato pœnitentem, cujus confessionem audivit, vel possit

possit illum remittere ad superiorem cui casus reservatus est? Enriq. lib. 7. de indulg. cap. 28. num. 2. & in Commentario litterâ 1. existimat, quoad absolutionem à censura reservata, non teneri confessorem uti privilegio, sed posse remittere pœnitentem ad Superiorem, Secus verò quoad absolutionem à peccatis, aliàs enim obligaret pœnitentem iterum eadem peccata confiteri, semel ipsi confessario, & iterum Superiori, quod absurdum videtur, & nimis onerosum. In censura autem hoc non currit, quia poterit absolvi ab ea à Superiore extra confessionem.

317. 10. Hæc tamen differentia minime placet, quia plus ex illa oneratur pœnitens, quam si iterum obligaretur confiteri peccatum, ob quod censura posita est. Quàmvis enim Superior possit absolvere à censura extra Sacramentum pœnitentiæ, sed nemo abolveret ab illa, sine cognitione qualitatis censuræ, ne cæco modo operetur in re gravi, ac per consequens sine notitia peccati, ob quod est censura imposita: obligaretur ergo pœnitens manifestare iterum suum peccatum Superiori extra confessionem. Et quis non videat hoc durius esse, quàm iterum manifestare in confessione. Ergo si hoc reputat absurdum Enriquez, magis absurdum debet illud reputare. Unde in utroque casu, vel dicendum, posse confessorem non uti privilegio, & remittere pœnitentem, ut aliqui tenent probabiliter; vel quòd in utroque eventu teneatur illo uti, auditâ confessione, ut alii volunt, quod probabilius iudico, regulariter loquendo; quia non potest renuntiare suo privilegio, cum gravi præjudicio

terti, ut tenet Panormit. in Cap. si de terra, de privileg. dixi regulariter, quia si iusta & rationalis causa adsit, poterit confessarius non uti privilegio, & ita non absolvere ab his casibus & censuris reservatis, sed remittere ad Superiorem, v. g. si pœnitens sæpè in eadem peccata reservata incidere soleat, vel alia simili de causa, quia tunc non proprie dicitur renuntiare, seu non uti privilegio in præjudicium pœnitentis, sed potius in favorem animæ ipsius, ut in futurum cautior sit in committendis talibus peccatis. Quòd verò tunc pœnitens obligetur ad confitendum, seu manifestandum bis eadem peccata, est per accidens, & provenit non ex culpa Confessarii, qui prudenter, & ut spiritualis medicus animarum se gerit, sed ex culpa ipsius pœnitentis constituentis se voluntariè in tali necessitate; ita Angelus, verb. Conf. 3. num. 28. in fin. Rodrig. in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 142. & in additione ad eundem numerum, Merola, & alii.

#### SECTIO IX.

An leges revocantes privilegia dependant ab acceptance privilegiorum?

1. **D**ifficultas hæc coincidit cum illa communi in materia de legibus: An lex sufficienter promulgata, & nota subditis dependeat ab acceptance illorum? Et quidem loquendo de legibus civilibus multi probabiliter affirmant, & multi negant apud Suar. Salas & alios. Circa leges Ecclesiasticas, seu Pontificias, non desunt graves Autho-

318.